

# Die Urkunden Lothars II., 31

(C.) In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotharius divina  
praeveniente clementia rex. Dum petitiones fidelium nostrorum placide  
adquiescimus nobisque devote famulantum utilitatibus pio favore consulimus, morem  
piissimorum nostrorum exequimur praedecessorum eosque sine dubio nostro famulatui  
ferventiores redere haudquaquam ambigimus. Omnia itaque sancte dei ecclesiae fidelium  
praesentium scilicet ac futurorum experiatur industria, quia Matfridus comes devotusque  
noster suggessit mansuetudini nostra, qualiter quidam vassallus suus, Otbertus nomine  
nobisque admodum amabilis, res quasdam sue proprietatis cum rebus iuris nostri  
commutare vellet, veluti huius munificentiae nostra series nos fecisse retexit. Dedit itaque  
praedictus Otbertus ad partem fisci nostri in comitatu Iuliacensi in commarca Bardunbach  
curtilem cum arboreta unum ac de terra arabili et prata iugera XXXIIII, de silva bunuarios  
XXVI et molendini loca II, et in villa Palembach curtilem unum ac in terram arabilem et  
prata iugera XX et molendini loca duo et de silva iugera XXX, ac in pago Tulpicensi in  
villa quae dicitur Chesnich curtem unum et de terra arabili iugera VII, et in pago Eiflinse in  
villa Dalaheim curtilem unum et in commarca ipsius ville bifangum unum, ubi possunt  
edificari mansa centum nec non insaginari porci mille, et coniacet ipsa silva inter  
Smideheim et Basenheim cum omnibus quae in praedictis locis visus fuit possidere. Itaque  
nos in recompensatione suarum rerum reddidimus praedicto Otberto de rebus iuris nostri in  
pago Moslense in commarca Uuanolon beneficium Sigari, ubi sunt inter terram et silvam  
bunuaria quinquaginta IIII cum mancipiis his nominibus: Rambaldo cum sorore sua et  
infantes ipsius sororis tres ac infantes uxoris praedicti Rainboldi septem, et de beneficio  
Meioli de villa Dalon feminas duas, quas habent duo homines fabri ac fratres qui fuerunt  
homines Conradi et Hildigardis, et in pago Tulpicensi in villa Leudesheim de beneficio  
Abraham curtiles IIII et de terra arabili bunuaria LX et in villa Bullinghiheim de beneficio  
Alberici bunuarium I et de beneficio Gauueranni bunuarium I in ipsa villa, ac in pago  
Eiflinse in villa Feia de beneficio Eliberti curtiles IIII ac de terra bunuaria LXVIII et in  
villa Nefresheim de beneficio Guntberti et in villa Arolfesheim et in villa Gouuuua curtiles  
III et de terra bunuaria L et de foreste, ubi possunt saginari porci CC. Insuper in comitatu  
Iulicense de villa Buslare mansos duos, quos habuit Saramannus in beneficio, alterum,  
quod Uuanboldus, cum mancipiis his nominibus: Gotboldus, Uuanboldus, Megingardus,  
Rimigart et infantibus earum VII; Folsuint, Oua, Gundrat, Vuerimburg, Reginburg; et de  
Lotmari villa servum I Ratbert, ac de beneficio Engilmari ancillam I Ottruth cum infantibus  
eius, cum omnibus praedictarum rerum adiacentiis vel quicquid ad ipsa loca pertinet in  
terris mancipiis utriusque sexus silvis. Quorum precibus benigne faventes hos regiae  
dignitatis imperavimus apices fieri, per quos sanccimus atque decernimus, ut haec  
commutationis nostra auctoritas cuncta per tempora firma et stabilis perseveret atque  
deinceps per hoc largitionis nostra praceptum praedictus Otbertus cuncta iure proprio  
teneat atque possideat faciatque sine cuiuspam contradictione quicquid elegerit vel  
voluerit. Et ut haec auctoritas nostra liberalitatis firmior habeatur per tempora, subter  
manu nostra firmavimus et anuli nostri impressione signari iussimus.

Signum Hlotharii gloriosissimi regis.

Grimlandus regiae dignitatis cancellarius recognovit.

Data XIII kl. febroarii anno Christo proprio regni gloriosissimi regis Hlotharii XII,  
indictione XV; actum Aquisgrani palatio regio; in dei nomine feliciter AMHN.